



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Hispanus Barcinonensi Gubernatori de ineptis, qui Lutetiæ spargebantur,
rumoribus de deditioe urbis, cùm illa acriter defenderetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

bueram mehercule tam insignem, tam facundum
 nactus defensorem, vel in causâ malâ ac despera-
 tâ aduersariorum meorum impetus eluisse; in
 tantâ verò causæ meæ bonitate multò minùs vide-
 batur esse quidquam, quod merendum mihi ar-
 bitrarer. Quid esse dicam, Marce Tulli, quòd
 Oratio tam elegans, tam nata ad movendos ani-
 mos, tam idonea ad faciendam fidem, hunc de-
 mum habuerit exitum, ut Massiliam relegarer?
 Etiam juranti non credam, eandem illam esse
 quam dixisti. Non ausim derogare tantum di-
 vine illi Orationi, quam lectitare non possum ad
 fatietatem, quam in oculis fero, quam deosculor
 in singulas horas, tanquam certissimum innocentie
 meæ præsidium. Hanc si, ut est exarata, pronun-
 ciasses; crede mihi, Marce Tulli, tuus ille Milo Massi-
 lienses mulos jam non ederet.

HISPANUS

Fortissimo Barcinonensis urbis Guber-
 natori.

*De ineptis, qui Lutetia spargebantur ru-
 moribus, Urbem esse jam diu deditam,
 dum illa contra Batavorum, Anglo-
 rumque impetus acrius defenderetur.
 Anno 1706.*

Nuntia & Satyrica.

NAm quid te militesque tuos in defendendâ
 Barcinone frustra maceras, vir fortissime?
 actum agis. Omitte novum illud dignumque
 gente vestrà fidei virtutisque specimen. Nescis
 urbem

urbem hanc vestram expugnatam hinc esse jam diu ab hominibus non paucis, quibus, vel si procul à mœnibus hostes fugerint, non persuaseris tamen, salvam & incolumem Barcinonem posse præstari. Utinam enim verò audiisses, quid illi suis in circulis, aut etiam medijs in compis effutiant circumforanei politici, dum res quaslibet, non tam ex certâ incorruptâque famâ, quàm ex feriatim malè cerebri figmentis metiuntur! Alij captam urbem conclamârunt, antequam ipsa cœpisset obsideri: alij finxere te cum invictis legionibus deseruisse Barcinonem, quo die egressus tu quidem ex propugnaculis hostes aggressus es, & magnam eorum stragem edidisti. Alij ruentibus ex se se dissipatisque per fideles nuncios, qui percrebuerant, rumoribus, tamen in errore pertinaces versantur, nec servari Barcinonem posse defendunt, quia expugnandam illam esse judicant. Quid facias? abundat hæc civitas hominibus minimè malis illis quidem, at meticulosis præter modum, quos adversæ res feriunt multò antè, quàm evenerint: qui, ne desit unquam, quod fovere ipsorum metus possit, nova quotidie timendi argumenta comminiscuntur. Nihil te movebunt, sentio, tam ineptæ, tam ridiculæ otiosorum hominum opiniones. Perges, uti fecisti hætenus, urbem tueri viriliter, & sinceram optimo Principi incorruptamque fidem approbare. Magnam hodie personam sustines, Vir fortissime, & intentos in te unum omnium oculos atque animos rapis. Plausus vicissim exspecta pares animo, constantiæ tuæ pares. Certabunt utrinque Gallia pariter atque Hispania, quibus nomen tuum laudibus prosequantur, & tam egregiæ defensionis memoriam apud posteros commendent.

M

RE-